

J. Medina

SACROSANCTUM OECUMENICUM
CONCILIUM VATICANUM SECUNDUM

U/2

RELATIO
SUPER SCHEMA EMENDATUM DECRETI
DE OECUMENISMO



SACROSANCTUM OECUMENICUM CONCILIIUM VATICANUM SECUNDUM

RELATIO
DE MODO SUPPLEMENTANDI
SCHEMA DECRETI DE OECUMENISMO

RELATIO SUPER SCHEMA EMENDATUM DECRETI DE OECUMENISMO

(SUB SECRETO)

PATRIMONIO



DE MODO SUFFRAGANDI
SCHEMA DECRETI DE OECUMENISMO

- 1^a suffragatio pro n. 1.
- 2^a suffragatio pro n. 2.
- 3^a suffragatio pro n. 3.
- 4^a suffragatio pro n. 4.
- 5^a suffragatio de integro capite cum Prooemio (nn. 1-4).
- 6^a suffragatio pro nn. 5-6.
- 7^a suffragatio pro n. 7.
- 8^a suffragatio pro n. 8.
- 9^a suffragatio pro nn. 9-12.
- 10^a suffragatio de integro capite (nn. 5-12).
- 11^a suffragatio pro n. 13.
- 12^a suffragatio pro nn. 14-18.
- 13^a suffragatio pro nn. 19-24.
- 14^a suffragatio de integro capite tertio.

N. B.: Suffragationes fient per *placet*, *non placet*, *placet iuxta modum* cum caput integrum suffragandum erit. Pro suffragandis numeris vel partibus capitum suffragatio fiet tantum per *placet* vel *non placet*.

— 6 —

RELATIO

SUPER CAPUT I

Hic agitur tantum de praesentatione Capitis primi Decreti de Oecumenismo, iuxta observationes Patrum Conciliarium emendati.

Praesentatio haec breviori modo fieri potest.

Etenim, textus completus Decreti iam die 21 novembris 1963 Congregationi generali in Aula exhibitus est, et Patribus ita placuit, ut per 1.966 suffragia contra 86 aestimaverint eum tanquam fundamentum ulterioris disceptationis acceptari posse.

Abhinc, perdurante secunda sessione Concilii et deinceps, circiter 500 observationes factae sunt, inter quas 75 nomine plurimorum Patrum.

Expositio praecisa laboris Secretariatus indicatur in Relatione quam Patres prae manibus habent, et ideo supervacaneum mihi videtur legere quod typis imprimitur (videte p. 51 et seq. in fasciculo).

Sermo meus solummodo ad sequentia reducitur.

I - *Spiritus et criteria laboris Secretariatus ad Unitatem fovendam.*

Postquam auditores attentissimi fuimus in Aula, relatores fidelissimi volumus esse, ita ut mentem Patrum Concilii plene participemus, et nunquam nostrum modum cogitandi substituamus opinioni Congregationis generalis.

Omnes observationes a Patribus factae diligentissime collatae et perpensae sunt, primo a Peritis, deinde a Membris Secretariatus in sessione plenaria, per sat longum tempus producta, et in adiunctis labori opprime faventibus.

Methodus adhibita in revidendis textibus indicatur in fasciculo, pagina 52, sub numeris 1-2-3-4.

Animadversiones post impressionem textus receptae, plane iuxta eadem criteria et cum pari benevolentia studio subiicientur.

II - *Principales modificationes.*

Quatuor tantum notandae sunt.

— *Prooemium.* Plures Patres optabant ut textui schematis praepōnatur aliquod prooemium, quo iam in initio Decreti clare appareat ratio eius et obiectum proprium.

Speramus quod novus textus qui verbis incipit: « *Unitatis redintegratio* », expectationi Patrum respondebit et praeterea, in quantum possibile, fratribus nostris seiunctis placebit.

In fine textus specificatur quod Decretum in doctrina in Constitutione De Ecclesia exposita nititur et cum ea bene conecitur.

— *Titulus Capituli Primi*. Prior titulus modificatus est. Non amplius dicitur: « De catholici Oecumenismi principiis », sed: « De catholicis Oecumenismi principiis ». Haec modificatio grammatica non momento caret. Significat etenim quod non datur specialis Oecumenismus catholicus, sed Oecumenicus unicus, et Catholici invitantur ut cum eo adlaborent, fideliter adhaerentes propriis principiis.

— *Actio Spiritus Sancti*. Pagina 6, lineis 18-24. Nova redactio expresse profitetur opus Spiritus Sancti in vita Ecclesiae. Hac additione ampliori respondetur votis multorum Patrum qui postulabant ut fusius et magis explicite sermo fiat de Spiritu Sancto et de eius influxu in oeconomia salutis.

— *Descriptio Oecumenismi* (pp. 8-10, n. 4). Numerus ille notabiliter modificatus est ut votis plurium Patrum consulatur qui definitionem pleniorum Oecumenismi exoptabant.

Descriptio nova proponitur, ut facile cognosci possint notae essentialis Oecumenismi, qui non est formula statica sed Motus a Spiritu Sancto excitatus, cuius progressum futurum definire non possumus: « Spiritus ubi vult spirat ».

III - *Progressus Actionis oecumenicae.*

Antequam ad suffragationem procedatur, cuius momentum sane omnes perspiciunt et aestimant, opportunum videtur notare progressum continuum Actionis oecumenicae, cui novus impulsus a Concilio certe datus est.

Plurimi sunt inter nos, fideles et sacerdotes, qui magis magisque gravitatem sentiunt scissurae inter Christianos, eamque deplorant. Multis in locis crebrior efficitur cura cogitatioque in causam Unitatis, necnon oratio et conatus ut melius intelligatur hac in re propositum Iesu Christi.

Colloquia cum Observatoribus non tantum cognitionem personalem inter nos procurarunt, sed etiam contulerunt ad instaurationem novi generis relationum et fiduciae mutuae inter confessiones christianas, et hoc iam absque dubio progressum constituit aestimabilem et reapse aestimatum. Ex his omnibus multum licet exspectare, praesertim si unusquisque nostrum et fratrum seiunctorum conatur, sub influxu Spiritus Sancti, propriam renovationem promovere.

Denique, ut omnes plane sciunt (sed hoc semper libentissime recordamur), peregrinatio Summi Pontificis Pauli VI in Ierusalem, et osculum pacis « in occurso illo felici et in saecula memorabili » (ut ait Patriarcha Athenagoras), tanquam nova pagina fuit illius historiae, a Providentia perductae, quae suum cursum pergit et cuius epilogus nondum expletur.

CONCLUSIO

In memoriam revocentur mens et scopus Decreti. Decretum hoc de Oecumenismo nec ignorare vult nec solvere praesumit difficultates quae inter nos exstant. Sed in conformitate cum spiritu a Summo Pontifice nuper in Encyclica *Ecclesiam suam* manifestato, textus noster sibi proposuit, in lucem evidentem ponere « id quod nobis commune est » potiusquam notare « id quod nos dividit ». Haec est via egregia, et ad nostrum dialogum quam maxime apta.

Ut omnibus patet, agitur tantum de initio itineris. Non per decursum aliquot dierum restaurari potest scissura saeculorum. Sed hoc certo affirmari potest: nihli restaurabitur in ignorantia et diffidentia reciproca, dum omnia possibile sunt, opitulante Dei gratia, ubi viget spiritus comprehensionis, benevolentiae et fraternitatis.

In hoc mundo convulso et obnubilato, nonne appropinquat hora redintegrationis Unitatis, secundum propositum Providentiae divinae?

Haec est spes nostra et non solum nostra!

Si Patres Conciliares tam unanimes sunt in approbando textum definitivum Decreti, quam in approbatione textus initialis, tunc suffragium illud tanquam signum Providentiae apparebit in firmamento nostri temporis, tanquam stella matutina quae, post procellam, surgit ante auroram.

✠ JOSEPH MARIA MARTIN
Archiepiscopus Rothomagensis

RELATIO

SUPER CAPUT II

Introductio: Post secundam Concilii sessionem, multas animadversiones Patrum circa Caput II, tam verbis in Aula quam epistolis traditas, Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam, gratulanter recipiens, usque ad hos ultimos dies diligenter studuit ac comparavit, omnes suggestiones et emendationes mature considerans secundum uniuscuiusque numerum, pondus et mensuram. Aliqua ergo in Caput II introducta sunt secundum Patrum Concilii desideria.

Ratio Capitis: Postquam Capite I generaliter natura motus oecumenici hodierni eiusque relatio ad Ecclesiae naturam describuntur, utile est huius motus relationem ad vitam Ecclesiae et singulorum pastorum et fidelium in lucem ponere.

Ratio votationum: Inde clare apparent Capitis II structura et ratio votationum:

I. Desiderium profundioris unitatis ad Ecclesiae renovationem pertinet, nec potest separari ab omnibus illis modis quibus Ecclesiae vita, pastorum vocatio evangelizandi, et fidelium pietas et apostolatus, hodie prudenter ac firmiter ad plenioram perfectionem tendunt. Haec renovatio Ecclesiae non tantum abstracta vel theoretica remanere debet, sed nata est ad profundam transformationem vitae singulorum fidelium ducere. — De hoc fiet votatio I, circa numeros 5 et 6.

II. Omnes ergo instantanter invitantur, numero 7, ad conversionem cordis, ita ut, conscientiam suam examinando, etiam culpas contra unitatem corde et, tempore opportuno, ore quoque confiteantur, et magis ac magis ad puritatem vitae secundum Evangelium adspirent. — De hoc fiet votatio II.

III. Ad hanc conversionem cordis promovendam valde utilis est, immo et necessaria, oratio pro unitate, quam oportet ubique suscitare et, rerum adiunctis consideratis, etiam in fraterna consociatione cum Christianis Orthodoxis et Protestantibus. Ideo permulti Patres postularunt ut Decretum de Oecumenismo aliquod positivum principium proponat circa communicationem in sacris, ita ut, iudicio auctoritatis episcopalis, id est, sive Ordinarii loci, sive Conferentiae Episcopalis, omnes Christiani possint in communibus, etiam liturgicis, orationibus saltem ad tempus coadunari. Quia rerum adiuncta valde differunt in di-

versis regionibus, tale principium debet esse sat generale, ita ut Episcopi possint de singulis casibus iudicare et Christifideles instruere secundum prudentiam. Hoc principium, ex duabus — ut ita dicam — dialecticis partibus constans, in ultima paragrapho numeri 8 invenitur. — De oratione unanimi et de generali principio circa communicationem in sacris fiet votatio III^a nostri capituli.

IV. Ecclesiae renovatio, conversio cordis et unanimis oratio desiderium postulant melius cognoscendi nostros fratres Christianos etiam a nobis seiunctos. Varia media ad eorum meliorem cognitionem indicantur numeris sequentibus: numero 9, organizatio institutorum et, ut dicitur, dialogorum; numero 10, investigatio rerum oecumenicarum in cleri formatione et in fidelium instructione, quod, sicut indicatur numero 11, multum contribuere deberet ad claram et integram doctrinae fidei expositionem in dialogis oecumenicis, ubi, dicendo veritatem in caritate, tam falsum irenismum quam duritiam cordis et superbiam intellectus vitare oportet; vel etiam, numero 12, practica cooperatio cum omnibus Christianis ad promovendum bonum civitatis christianae et saecularis, ut omnes homines possent et vellent dirigere pedes suos in viam pacis. — De his punctis fiet votatio IV^a.

PATRIMONIO U CONCLUSIO

Sic, Patres venerabiles, Caput II schematis de Oecumenismo, si vobis placet, Ecclesiae renovationem favere potest, enucleando principia relationis motus oecumenici ad Sanctae Matris Ecclesiae vitam, et ita, ut optandum est, inspirando Episcopos et pastores animarum ad activitatem oecumenicam in singulis locis promovendam atque regulandam.

Iuxta desiderium plurimorum Episcoporum, Secretariatus ad Christianorum Unitatem Fovendam aliquod Directorium Oecumenicum elaborare et publicare intendit. Rogamus ergo Patres Concilii, ut de desideriis suis in concreto mentem Secretariatus aperiunt, atque eos qui de activitate oecumenica experientiam in singulis regionibus iam habent, ut suggestiones et consilia mittant, ita ut hoc Directorium omnibus satisfacere possit.

✠ CAROLUS HELMSING

Ep. Kansanopolitanus - S. ti. Iosephi

versis regionibus, tale principium debet esse generale, ita ut Episcopi possint de singulis casibus iudicare et Christianis instruere secundum prudentiam. Hoc principium, ut ita dicam — dialecticis partibus constans, in ultimo paragrafo numeri 8 invenitur. — De oratione unanimitatis et de generali principio communicationis in sacris

RELATIO

SUPER CAPUT III

Pars Prima

De Ecclesiarum Orientalium peculiari consideratione

Venerabiles Patres,

1. In relatione generali super integrum schema Decreti De Oecumenismo, in fasciculo secundo istius schematis, sub titulo: « Declaratio altera de Iudaeis et de non Christianis », Vobis exhibito, in pp. 61-64 afferuntur praecipuae quaestiones a Patribus motae, tam relate ad Prooemium et Caput hoc III in genere, quam relate ad I^{am} eius partem, seu de Ecclesiis Orientalibus, in specie, ubi, in pp. 63-64 diligenter enumerantur omnes emendationes quae a Secretariatu introductae sunt in textum nunc Concilio propositum, ut, iuxta vota Patrum, primus textus istius primae partis Capitis III evadat clarior, concinnior et melius ordinatus. Quam ob rem, in hac nostra relatione particulari, ne patientia Vestra abutemur, nihil amplius de his omnibus dicere intendimus, referentes Vos, Venerabiles Patres, ad iam supra dicta.

2. Id, de quo nobis ibi verbum dicendum est, praestat brevissime indicare: quo modo et quibus mediis ista prima pars Capitis III dirigere intendit mentem et voluntatem omnium Catholicorum ad veram cognitionem et sinceram acceptationem huius magnae veritatis, quam nuper Summus Pontifex Paulus VI in sua allocutione inaugurali III sessionis huius Sacrosanctae Synodi tam clare expressit, dicendo scopum huius Concilii fore, praeter multa alia « ostendere instituta et formam Ecclesiae, tam in Oriente quam in Occidente, licet proprietates quasdam utrumque habeat, esse eiusdem naturae » (*L'Osservatore Romano*, 14-15 septembris 1964).

Aliis verbis, Venerabiles Patres, Secretariatus noster, gratissimo animo accipiens omnes Vestras animadversiones et emendationes, voluit, in apparando hoc textu, ut Ecclesia in promovenda actione sua oecumenica inter Christianos Orientis clare et auctoritative omnibus notum faciat, quod tam in obiectiva cognitione causarum dolorosae separationis inter Orientem et Occidentem, quam in omni sincero conatu scissionem hanc reparandi et pristinam unitatem inter eos restaurandi, omnes semper

et ubique conscii esse deberent Orientem et Occidentem saepe saepissime revera non differre inter se nisi diversa expressione eiusdem veritatis dogmaticae, identicae praxeos liturgicae et similis disciplinae ecclesiasticae.

3. Revera neminem fugit momentum historicum et dogmaticum istius veritatis, quae, cum rite cognita et fideliter observata, quam maxime conferre potest ad concordiam inter Christianos colendam et ad unitatem in Ecclesia Christi servandam: dum e contra, quando ignota vel in praxim non traducta, effectus quam pessimos pro tota vita ecclesiali Christianorum gignere et spargere potest, cum praemultis discordiis, acerbis accusationibus et quandoque plena cum condemnatione. Pro tristi exemplo talis habitudinis inter Orientem et Occidentem inservire potest casus schismatis tempore Patriarchae Caerularii, 1054, ubi Legatus Pontificius Cardinalis Humbertus, fere tres menses post mortem Papae S. ti Leonis IX, in sua famosa excommunicatione contra Patriarcham et eius asseclas, gratuito attribuit illis omnes haereses hoc tempore in Ecclesia notas, et propter haereses sic gratuito illis attributas, omnes illos damnavit, etsi, ut ex historia hodie constat, in tota lucta hac nulla veritas dogmatica revera in dubium vocata fuisset.

Ideo, Secretariatus, mentes omnium ad peculiarem considerationem Ecclesiarum Orientalium convertens, in numeris 14-18 eiusdem Capituli III eorum propriam mentalitatem, historiam, traditiones liturgicas, spiritualitatem, ecclesiasticam disciplinam et indolem propriam in divinis tractandis breviter, sed clare et explicite, ante oculos omnium Christianifidelium in lucem ponit.

4. Hisce dictis de natura et scopo Primae Partis Capituli III schematis De Oecumenismo, remanet nobis, ut objectionibus, quae factae sunt vel fieri possunt, quantum possumus satis faciamus.

a) Secundum unum Patrem, prudentius esset auferre integrum Caput III e schemate De Oecumenismo, quia materia ibi pertractata implicat iudicia difficilia de quibus melius esset ut Concilium non agat, et ut exemplum citantur: N. 15, p. 20, lin. 36-38, et N. 17, p. 21.

Resp. Sed primus textus huius capituli, tamquam basis ulterius disceptationis in Concilio, fuit approbatus a Patribus die 21 novembris praeteriti per 1966 vota contra 86; et textus ita a Patribus approbatus iam in sessione II non fuit mutatus nisi ipsi Patres in suis animadversionibus ita petierunt.

b) Aliquis Pater difficultatem movet contra textum in N. 15, p. 20, lin. 28-29, ubi legitur: « Proinde per celebrationem Eucharistiae Domini in his singulis Ecclesiis (nempe Orientalibus), Ecclesia Dei aedificatur et crescit ». In quonam esset malum separationis — rogat iste Pa-

Com. in rubricis

ter —, si Ecclesia Dei aedificatur et crescit per Liturgias Ecclesiarum seiunctorum?

Resp. Omni sacramento valide et fructuose recepto crescit et aedificatur Ecclesia Dei, quia advenit vel augetur in animabus gratia Christi, Capitis Corporis Mystici. Hoc valet a fortiori de Eucharistia, quae est fons vitae Ecclesiae et pignus futurae gloriae, ut clare dicitur in lin. 23-24 eiusdem numeri 15.

c) Plures Patres, postquam gratum animum expresserunt de debita mentione Ecclesiarum Orientalium tam catholicarum quam seiunctorum in nostro schemate facta, conquesti sunt quod in schemate nihil dicatur de munere peculiari Ecclesiarum Orientalium catholicarum in opere oecumenico.

Resp. Propter varias vicissitudines in variis locis inter Ecclesiam orientalem catholicam et orthodoxam existentes, ubi simul cum mutua aestimatione et amore in uno loco, aliquando sermo de necessitate suppressionis Ecclesiarum orientalium catholicarum auditur in alio, visum est Secretariatus munus peculiare harum Ecclesiarum in opere oecumenico commendandi imprimis in hac duplici fidelitate servanda, scilicet: in plena fidelitate erga successorem Petri, super quem Christus aedificavit Ecclesiam suam; et in perfecta fidelitate erga traditiones eis proprias orientales, quae thesaurum ditissimum Ecclesiae Christi constituunt et signum visibile eius catholicitatis realiter manifestant. Quia per hanc duplicem fidelitatem facilius via aperitur ad dialogum cum fratribus orientalibus seiunctis et consequenter ad opus reconciliationis.

5. Secretariatus cum vero gaudio satis fecit propositionibus multorum Patrum conciliarium orientalium, qui postulaverunt aliquam communicationem in sacris cum fratribus seiunctis, proponendo in N. 15 istius capituli III, p. 20, lin. 36-40 principium quoddam generale de hac re.

CONCLUSIO

His omnibus dictis, rogamus, Vos Patres Venerabiles et Fratres Carissimi, suffragio vestro confirmare quae Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam maxima cum diligentia ad mentem Vestram in hac re praeparavit, ut ducente Spiritu Sancto et auxiliante Beatissima Dei-para tam profunde et tam tenere in Oriente christiano venerata, opus hoc conciliare horam novae periodi in historia Ecclesiae annuntiet et omnes Christianos ad pristinam et germanam unitatem Ecclesiae Christi pro salute mundi quam citius perducatur.

✠ MAXIMUS HERMANIUK

Metropolita Winnipegensis pro Ucrainis in Canada

RELATIO

SUPER CAPUT III

Pars Secunda

De Ecclesiis et Communitatibus ecclesialibus in Occidente seiunctis

Titulus partis secundae Capitis tertii mutatus est propter multas a Patribus interventiones factas. Coetus nempe ex divisione occidentali orti non sunt tantum summa seu congeries Christianorum individuorum, sed constituuntur elementis socialibus ecclesiasticis, quae ipsi ex communi patrimonio conservant et quae ipsis characterem vere ecclesialem conferunt.

Loquentes in titulo de Ecclesiis et de Communitatibus ecclesialibus omnes comprehendere volumus qui nomine christiano decorantur. Minime tamen in quaestionem disputatam intramus, quatenus requirantur, ut aliqua Communitas christiana theologice Ecclesia vocari possit.

Communitates, de quibus in hac parte agitur, non iam ut in priore redactione « inde a saeculo decimo sexto exortae » vocantur, sed « in Occidente seiunctae ». Quae expressio melius correspondet factis historicis.

Secundum emendationes a pluribus Patribus propositas, servata huius partis structura, novus expositionis modus nunc proponitur. Aliarum Communitatum descriptionem dare minime volumus; potius quatuor puncta in textu elaborata, scilicet Christi confessio (n. 20), Sacrorum Librorum studium (n. 21), vita sacramentalis (n. 22), vita cum Christo (n. 23), ex una parte elementa omnibus Christianis communia in lucem ponunt, ut fundamentum sint pro dialogo cum fratribus seiunctis. Ex altera parte, tamquam pars huius dialogi in unoquoque numero breviter indicantur illae doctrinae, de quibus dissensus existit inter fratres seiunctos et nos. Haec temperata et aequilibrata praesentatio satisfacere vult difficultatibus illorum Patrum, qui solliciti erant de evitanda ex una parte proselytismo, et, ex alia parte, periculo indifferetismi.

Conclusio (n. 24) accipienda est ut conclusio trium capitum, non mere ut conclusio huius partis. Summarie igitur indicantur principia generalia ex quibus totum opus oecumenicum inspirationem suam tra-

here debet, nempe fidelitas erga fidem catholicam nobis per Ecclesiam traditam necnon fidelitas erga impulsionem Spiritus Sancti qui omnes Christianos ad unitatem a Christo volitam acquirendam movet.

Piae memoriae Ioannis vigesimi tertii mentem sequens Summus Pontifex Paulus Sextus gloriose regnans saepe saepius nobis in mentem revocavit quod Concilium nostrum Vaticanum Secundum habet finem tum pastoralem tum oecumenicum. Nobis in Secretariatu videtur quod schema nostrum dat principia quorum ope voluntatem Summi Pontificis adimplere possimus.

Sacerdotes et Christifideles ad Patres Concilii tamquam duces aspi-
ciunt. Fratres nostri carissimi, seiuncti quidem, spe autem christiana et
oratione artissime nobiscum coniuncti, cooperatores nostri magis et
magis esse volunt. Mundus tandem universus exitum huius suffragationis
expectat. Etiam homines sine religione viventes declarationes nostras
de unitate Christianorum scrutabuntur. En opportunitas nostra demon-
strandi quod hodie sicut in temporibus subapostolicis Christiani amore
fraterno cognoscuntur! Voce unanimi, Venerabiles Fratres, beneplacitum
vestrum ostendatis.

✠ IOANNES C. HEENAN
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

5 Secretariatus cum vero gaudio suis officii propriis
Secundum emendationes a pluribus Patribus propositas
huius partis structura, novus expositiois modus nunc proponitur. Alia
tum Communitatum descriptionem dare minime volumus; prius par-
tior puncta in textu elaborata, scilicet Christi confessio (n. 20), sacro-
rum Librorum studium (n. 21), vita sacramentalis (n. 22), vita cum
Christo (n. 23), ex una parte elementa omnia Christianis communia
in lucem ponunt, ut tandem sicut pro dialogo cum fratribus scin-
tis. Ex altera parte, tandem pars huius dialogi in modum numero
brevis indicantur illae doctrinae, de quibus dissensus existit inter
fratres sanctos et nos. Haec temperata et aequilibrata praesentatio
satisfacere vult difficultatibus illorum Patrum qui solliciti erant de evi-
tando ex una parte proselytismo, et ex alia parte periculo indifferen-
tismi.
Conclusio (n. 24) accipienda est ut conclusio trium capitum, non
mere ut conclusio huius partis. Summarie igitur indicantur principia
generalia ex quibus totum opus oecumenicum inspirationem suam tra-